

in sua, et nominibus quibus supra, subjective porrectis Regio cum favore inclinati, prefatas Litteras Nostras patentes presentibus Litteris Nostris patentibus de verbo ad verbum transcribi et transumpni facientes, eidem Magistro Paulo duximus concedendas, Juris sui et dictorum Nobilium Regni Nostri Sclavonie antedicti uberiores ad Cautelam. Datum Posonii die decimo proximo post festum beati Mathei Apostoli et Evangeliste. Anno Domini Millesimo quadringentesimo secundo.

(Locus sigilli Regii appressi.)

Orig. membr. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 7.

CXVIII.

Anno 1395. die 10. Octobris. Spalati.

Andreas, Archiepiscopus Spalatensis, cum Joanne Comite Neliptio de decimis ecclesiasticis amicam conventionem, praesente Vicebano Dalmatiae et Croatiae ac compluribus Nobilibus Croatiae, init.

In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem Millesimo trecentesimo nonagesimo quinto. Indictione III. Regnante Serenissimo Principe et Domino nostro naturali Domino Sigismundo, Dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Rege inclyto, et Marchione Brandenburgensi. Temporibus quidem Reverendissimi in Christo Patris et Domini Andree, Dei et Apostolice Sedis gratia Archiepiscopi Spalatensis et legum Doctoris; Magnifici et strenui viri Domini Nicolai de Gara, dictorum Regnorum Dalmatie et Croatie Bani, nec non civitatis Spalatensis Comitum plurimum honorandi, Nobiliumque et prudentium virorum Dominorum Dyonisii Helie, Nicole Zeri de Comis, et Antonii Joannis de Grisogonis, Rectorum et Judicum hon. Civitatis Spalatensis. Die undecima Octobris prefatus Reverendissimus in Christo Pater et Dominus Andreas Spalatensis Archiepiscopus ibi presens, in presentia testium examinatus, et mei notarii infrascripti, dixit ac contentus et confessus fuit, quod omne compromissum, sub quacumque forma per ipsum ex una parte factum, et compromissum in conventionem cum Magnifico et potente Domino Joanne Neliptio, Cetine Comite, super facto decimarum, per dominum Comitem Joannem debitarum eidem domino Spalatensi Archiepiscopo, et ipsi Spalatensi Ecclesie, in Reverendissimum in Christo patrem et Dominum Dominum Dei et Apostolice Sedis gratia Archiepiscopum Strigoniensem. et ipsius Domini Strigoniensis Archiepiscopi personam, et omnis sententia ex hoc et ex